



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis**

**Arias, Francisco**

**Monachii, 1648**

Cap. XXIII. Hominem, per peccatum mortale, seruum, ac mancipium  
diaboli, eiusdemque peccati fieri; & quam hæc sit mala seruitus, atque  
captiuitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

Hominem per peccatum mortale servum,  
ac mancipium Diaboli, eiusdemq<sup>3</sup> pec-  
cati fieri: Et quàm hac sit mala  
servitus; atque capti-  
vitas.

C A P. XXIII.

**N**on solum Diabolus per mortale  
peccatum in animam intrat, vti  
ostendimus, sed eam etiam captivam  
facit, sibi subijcit, & ergastulo inclu-  
dit; vnde homo fit servus, ac manci-  
pium Diaboli. Clarum est, quod S.  
Petrus dicit, à quo quis superatus est, hu-  
ius & servum esse: a Et quod S. Paulus  
ait, cui se homines voluntariè exhibent  
servos ad obediendum, servos esse eius, cui  
obediunt. b Cum ergo homo per pec-  
catum mortale superetur à Diabolo,  
eique subijciat se, & obediat, fit con-  
sequenter servus, ac mancipium illius;  
& funes, atque catenæ, quibus eum  
comprehendit, ligat, & captivum de-  
tinet, sunt peccata, quibus miser con-  
sen-

a 2. Pet. 2. 19. b Ad Rom. 6. 16.



sensit, quemadmodum Sapiens docet  
 dicens: *a* Iniquitates, quas homo fa-  
 cit, eum capiunt, & funibus peccatorum  
 suorum constringitur. Ingens est huius  
 captiuitatis calamitas, ac miseria, &  
 magna mala, ac damna, quæ inde pec-  
 catori existunt. Dum enim Diabolus  
 hominem captiuum, ac mancipium  
 habet, debilem, & inhabilem ad vir-  
 tutis opera reddit: nam eorum qua-  
 dam omittit, quia facere illa nequit,  
 cum in malo statu est, alia omittit, quia  
 sunt ipsi difficilia; & bona, quæ non  
 omittit, malè facit. Omittit Missam,  
 vel malè eam audit: Omittit oratio-  
 nem, vel sine attentione illam facit:  
 Omittit eleemosynam, vel non liben-  
 ter eam dat; & sic de reliquis sanctis,  
 virtuosisque operibus, quæ vel omit-  
 tit, vel cum magnis defectibus facit. *b*  
 Narrat diuina Scriptura, Adonibezec  
 Ethnicum regem Ierosolymæ, antequam  
 eam Iudæi obtinuissent, pugnasse con-  
 tra multos reges, victisque septuaginta ex  
 ta  
 fun  
 reg  
 gib  
 li D  
 pe  
 ip  
 ctu  
 bo  
 pe  
 tia  
 ser  
 ma  
 de  
 in  
 me  
 pe  
 &  
 op  
 g.  
 da  
 du  
 bu  
 no

*a* *Præu. s. 22.* *b* *Iudic. 1. 6.*



ta ex eis amputasse manuum ac pedum  
summitates, & sic illos sub mensam suam  
regiam ciborum reliquias colligere coe-  
gisse. Eundem postea a duobus popu-  
li Dei captum, ipsique summos pariter  
pedes, ac manus amputatas, & quod  
ipse alijs regibus a se victis fecerat, fa-  
ctum esse. Adonibez representat Dia-  
bolum, regem filiorum superbiae: hic  
peccatoribus, qui cum prius per gra-  
tiam reges essent, postea per culpam  
serui illius, ac mancipia sunt, pedes, &  
manus amputat; quod est, eos ad bona  
desideria, & ad sanctas operationes  
inhabiles reddere, ipsidemque praebet  
mensam suam reliquias, quae sunt vitia, &  
peccata. Nam praeter inhabilitatem,  
& impedimentum, quod eis in bene  
operando obijcit, nova ab illis vesti-  
galia, & peccatorum, quae ipsis facien-  
da suadet, tributa exigit; quemadmo-  
dum S. Paulus testatur, de peccatori-  
bus quibusdam dicens: *a Captivi te-  
nentur a Diabolo ad ipsius voluntatem, &  
impe-*

a 2. Tim. 2. 26.



imperium. Vicit Christus hunc Tyrannum, & destruxit eius potentiam & suis virtutem ad vincendum eum impertit. O quantum, & quàm perniciosum malum, ô quàm enormis, ac turpis iniuria, ô quàm iniustus, & peruersus ordo est, quòd homo creatus, ordinatusque per infinitam Dei potentiam, redemptus, ac sanctificatus virtute, meritoque passionis eius, vt sit de profapia, & stirpe Dei, filius Dei, socius Angelorum, ipsiusque Angelorum Domini, regnaturus cum eo in caelo; per peccatum mortale fiat seruus, ac mancipium pessimæ, vilissimæ, & fraudulentissimæ omnium creaturarum, ei que seruiat, peccata, & res immundas, inhonestasque committendo! Depingit S. Chrysostomus hanc peccatoris miseriam istis verbis: *a Etsi quis sit admodum diues, & genere nobilis, vilibus, & ignobilibus vilior, plenusque extremâ fit miseriam, quando à Diabolo per peccatum fuerit captus, siquidem peccati seruus,*

a D. Chr. hom 9. in 1. ad Cor. c. 3.



seruus, & sub Diaboli iugo, ac tyrannide existit. *Quemadmodum etsi quis regnauerit, fuerit autem scelerati alicuius, & barbari hominis factus seruus, est barbaris omnibus miserior; ita etiam, imò maior sine comparatione miseria est, hominem fidelem, qui per gratiam, & ius ad gloriam erat spiritualis rex, per culpam fieri seruum, ac mancipium Diaboli, & ipsius peccati. Nihil est enim aequè barbarum, & amens, atq; peccatum. Omnia bona confundit, euertit, & perdit.* Hactenus S. Chrysostomus.

Atque hæc sunt mala, & damna grauissima, quæ homo incurrit, quia Diaboli seruus, ac mancipium factus est. Nam infelix tenebrarum Princeps, qui præter esse naturale, nullum bonum, sed tantum peccata, & tormenta habet, quid sibi seruientibus dare potest, nisi culpas, & poenas? *a*. Ait S. Ioannes vidisse se equum pallidum, super quẽ sedebat quidam, cui nomen mors, & infernus. Hic infernalis eques Diabolum repræ-

*a Apocal. 6. 8.*



repræsentat, qui caput, & dux est omnium Tyrannorum persecutorum Ecclesiæ, & author omnium peccatorum, quæ illi commiserunt, & mortium, quas in fidelibus ediderunt. Iam qui aliud non habet, quàm mortem culpæ, & pœnæ, quemque semper infernus comitatur, quid potest aliud sibi seruientibus, & obediētibus dare, quàm peccata, & temporalia, æternaque tormenta? Ut enim Apostolus dicit, *stipendia peccati, mors.* <sup>a</sup> Refert Cardinalis Petrus Damiani hominem quondam in siluam ad secanda securi ligna egressum, vidisse serpentem bicipitem tantæ magnitudinis, ut trabs videretur: qui conspecto homine, aduersus eum iuit, scintillas igneas per oculos eiacularans. Et homo necessitate compulsus animum cepit, illumque securi in altero capite percussit, idque amputauit. Serpens igitur in altum se tollens, cum maximâ rabie hominem altero capite prostravit, ore constrinxit, caudam inuoluit, & in spe-

lun-

<sup>a</sup> *Ad Rom. 6. 23. Damian in Biblioth. rom. 31*



luncam suam deuorandum traxit. Homo iste (vt idem Sanctus ait) est imago miseriæ peccatoris, qui Dæmonis in hac, & alterâ vitâ captiuus, ac mancipium est. Atque ita considerare debemus, si tantum malum, tantaque miseria fuit illi homini esse intra dentes illius tam crudelis serpentis, qui præter naturalem suam feritatem vlcisci acceptam iniuriam volebat, & viscera illius comminuebat, & carnes frustatim deuorabat; eratque tam ferus hostis, vt nec precibus, nec lacrimis placare eum posset, nec de manibus eius euadere; quantum malum, & quanta erit peccatoris miseria, esse captiuum, ac mancipium Dæmonum, Infernalium Draconum, qui eum in hac vitâ temptationibus, & difficultatibus, & molestiis, & peccatorum tributis vexant, & affligunt, & in alterâ vitâ coniectum in Tartaream cauernam, cum incredibile crudelitate, mille pœnarum generibus, idque non per vnum diem, sed per omnia secula, totamque æternitatem, excruciant?

Ne-



Neque solum mortale peccatum hominem seruum, & mancipium facit Diaboli, sed etiam passionum, malarum, & que inclinationum amoris inordinati, odij, tristitiæ, mali gaudij, iræ, vanæ spei, auaritiæ, superbiæ, ambitionis, gulæ, luxuriæ, omniumque ceterarum, quæ ad peccandum inducunt, ac movent. Hæc seruitus, & captiuitas profus miserabilis est; & quamuis homo aliquis mundi dominus sit, omnesque illius honores, ac diuitias possideat, si vni ex his passionibus sit subiectus, verè seruus, ac vilissimum peccati mancipium est. De hac captiuitate S. Paulus ait; *a Video, & experiëntiã probo in membris meis, id est, in appetitu sensitiuo, aliam legem malam, repugnantem, & contradicentem legi, quæ impressa est parti superiori animæ meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Hæc lex mala partis sensitivæ, quæ est quælibet passio inordinata, malaque inclinatio, lex vocatur, quia quemadmodum lex bona

a Rom. 7, 23.



bona ad bonum inducit, sic ista mouet  
ad malum. Et licet hæc mala lex om-  
nes homines ad peccandum sollicitet,  
vt eos subiectos, captiuosque faciat,  
tamen ad hanc subiectionem, & capti-  
uitatem non nisi eos adducit, qui illi  
consentiunt, atq; obediunt; sicut idem  
Apostolus explicat, dicens: *a* Si obe-  
ditis peccato, id est, malæ inclinationi,  
serui estis peccati, quod vos in mortem, &  
æternam damnationem adducet: Sin  
obeditis diuinis mandatis, per hanc  
obedientiam, acquiretis veram sancti-  
tatem, quæ vos perducet in *vitam æter-*  
*nam*. Hoc tantum malum facit homo,  
cum in peccatum aliquod mortale,  
consentit, vt mancipium se Diaboli,  
suæque propriæ carnis constituat, & in  
hunc finem animam eidem Diabolo  
pro peccati commodo, gustuque ven-  
dat. *b* Ita S. Augustinus, *vnusquisque,*  
*inquit, peccando animam suam Diabolo*  
*vendit, acceptâ, tanquam pretio, dulcedine*  
*tem.*

*a* Ad Rom. 6. 16. *b* D. Aug. in epist. ad  
Rom. prop. 42. tom. 4.



temporalis voluptatis. Vnde & Dominus  
 Redemptor noster didicit est. quia hoc modo  
 quo dictum est, venditi eramus. Et hoc  
 tam incomparabile malum facit homo  
 non vi, nec vllâ necessitate coactus, sed  
 liberè admodum, ac voluntariè; nam  
 neque Dæmon, neque passio eum co-  
 gere potest. Id diuinè S. Chrystosto-  
 mus ponderat his verbis: *a* Postquam  
 Christus Diabolum dixit fortem sapienter  
 postea ostendit ligatum, ut si te audita for-  
 titudo terruerit, ligatio eius nunciata con-  
 fortet. iam quali opprobrio dignus est, ma-  
 gis autem tormento, qui aduersarium suum  
 ligatus non vincit? Alligauit eum Do-  
 minus, ut nos eum conculcemus: illum hu-  
 miliavit propter malitiam eius, ut & ille  
 victus amplius confundatur, quia spiritus  
 constitutus, a carnalibus conculcatus est. Et  
 nos vincentes eum, amplius glorificemus,  
 quia carnales constituti, spiritum vincim-  
 us. Hæc S. Chrystostomus,

Consequamur igitur hanc victoriã,  
 quam cum Dei auxilio tam facilè con-  
 sequi

*a* D. Chr. hom. 30. Matth. 12.



sequi possumus: Fruamur hac gloriâ,  
quam Christus nobis tam liberaliter  
offert: Exeamus de hac captiuitate, si  
in eam incidimus: resistamus Diabolo,  
& carni nostræ, audientes Prophetam,  
qui modò nobis dicit, quod olim di-  
xit populo Israël: *a Solue vincula col-  
litui, captiua filia Sion,* & de hoc carce-  
re egredere. Quid facit homo capti-  
uus in terris infidelium, vt ex illâ ca-  
ptiuitate exeat? fugit cum vapulandi,  
vitæque amittendæ periculo. Quid  
facit avis laqueo impedita, vt se libe-  
ret? rostro sibi pedes tundit, seque læ-  
dit, vt laqueum incidat. Quàm ergo  
rationi consentaneum est, te, frater, vt  
de Diaboli captiuitate, deque vitijs, ac  
passionibus exeas, subire quemlibet  
laborem, & periculum amittendæ vi-  
tæ, teque ipsum tundere, ac percutere,  
agendo de peccatis tuis pœnitentiam,  
eorumque pœnas à temet expetendo?  
cum præsertim Filius Dei in mundum  
venerit, Homo factus, passusque sit, &

M mor-

a Is. 52. 2.



mortuus, ut nos ex hac captiuitate ereptos, in veram libertatem afferere quemadmodum idem Dominus affirmat, dicens: *a Spiritus Domini uenit super me, & me totum secundum Humanitatem impleuit, misitq; ad annunciandum mansuetis, qui Fidei obediunt, Euangelium; ut mederer uulneratis, contritisq; corde propter peccata, & predicarem, impertiremque Diaboli captiuis indulgentiam, ac libertatem, & clausis, ligatisque in uitiorum tenebris, & malorum morum duritie, operationem; ut a tam dura seruitute, miserâque captiuitate liberi, & soluti, perfectâ gratiâ, æternâq; gloria libertate fruerentur.*

*a Is. 61. 1. Luc. 4. 18.*

